in igne grossum reperietur, descendet ad inferos ad poenam damnatorum; quod vero est ibi subtile, et lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis, qui purgabit electos ante judicium, erit idem cum igne conflagrationis mundi, quamvis quidam contrarium dicant: convenit enim, ut cum homo sit pars mundi, eodem igne purgetur homo, et mundus. Dicuntur autem duo ignes, qui purgabit bonos, et qui cruciabit malos, et quantum ad officium, et aliquo modo quantum ad substantiam; quia non tota substantia ignis purgantis in infernum detrudetur, ut dictum est *(in corp.)*.

Ad secundum dicendum, quod in hoc ille ignis remunerabitur, quod illud quod est grossum in eo, separabitur ab ipso, et retrudetur in infernum.

Ad tertium dicendum, quod sicut gloria electorum post judicium erit major, quam ante, ita et poena reproborum; et ideo sicut claritas superiori creaturae addetur ad augmentandam gloriam electorum, ita etiam quidquid est turpe in creaturis, retrudetur in infernum ad augmentandum miseriam damnatorum; et ita igni damnatorum ab initio praeparato in inferno non est inconveniens si alter ignis addatur.

QUAESTIO LXXV.

DE RESURRECTIONE, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Post haec considerandum est de circumstantibus, et concomitantibus resurrectionem. Quorum, *prima* consideratio est de ipsa resurrectione: *secunda* de ejus causa: *tertia* de ejus tempore, et modo: *quarta* de ipsius termino *a quo*: *quinta* de conditionibus resurgentium.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo. Utrum resurrectio corporum sit futura.
Secundo. Utrum sit omnium generaliter.
Tertio. Utrum sit naturalis, vel miraculosa.

ARTICULUS I. 332

UTRUM CORPORUM RESURRECTIO SIT FUTURA.

(S. Thom. 4. Dist. 43. q. unic. art. 1. q. 1. et seq.).

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod corporum resurrectio non sit futura: Job 14.: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur coelum:* sed coelum nunquam atteretur, quia *terra,* de qua minus videtur, *in aeternum stat,* ut patet Eccle. 1.; ergo homo mortuus nunquam resurget.

2. Praeterea. Dominus, Matth. 22., probat resurrectionem per auctoritatem illam: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; quia non est Deus mortuorum, sed viventium:* sed constat quod, quando verba illa dicebantur, Abraham, Isaac, et Jacob non vivebant corpore, sed solum anima; ergo resurrectio non erit corporum, sed solum animarum.

3. Praeterea. Apostolus 1. Corinth. 15. videtur probare resurrectionem ex remuneratione laborum, quos in hac vita sustinent sancti; qui si in hac vita tantum confidentes essent, miserabiliores essent omnibus hominibus: sed sufficiens remuneratio omnium laborum hominis potest esse in anima tantum; non enim oportet, quod instrumentum simul cum operante remuneretur: corpus autem instrumentum animae est; unde etiam in purgatorio, ubi animae punientur pro his quae gesserunt in corpore, anima sine corpore punitur: ergo non oportet ponere resurrectionem corporum; sed sufficit ponere resurrectionem animarum, quae est dum transferuntur de morte culpae, et miseriae in vitam gratiae, et gloriae.

4. Praeterea. Ultimum rei est perfectissimum in re, quia per illud attingit finem suum: sed perfectissimus status animae est, ut sit a corpore separata, quia in hoc statu conformior est Deo, et angelis, et magis pura, quasi separata ab omni extranea natura; ergo separatio a corpore est ultimus status ejus; et ita ex hoc statu non redit ad corpus, sicut nec ex viro fit puer.

5. Praeterea. Mors corporalis in poenam homini est inducta propria praevaricatione, ut patet Gen. 2., sicut et mors spiritualis, quae est separatio animae a Deo, est inflicta homini pro peccato mortali: sed de morte spirituali nunquam redit homo ad vitam post sententiam damnationis acceptam; ergo nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regressus; et sic resurrectio non erit.

Sed contra est, quod dicitur Job 19.: *Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea,* etc.; ergo resurrectio corporum erit.

Praeterea. Donum Christi est majus, quam peccatum Adae, ut patet Rom. 5.: sed mors per peccatum introducta est, quia si peccatum non fuisset, mors nulla esset; ergo per donum Christi a morte homo reparabitur ad vitam.

Praeterea. Membra debent esse capiti conformia: sed caput nostrum vivit, et in aeternum vivet in corpore, et anima, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur,* ut patet Rom. 6.; ergo et homines, qui sunt ejus membra, vivent in corpore, et anima; et sic oportet carnis resurrectionem esse.

Respondeo dicendum, quod secundum diversas sententias de ultimo fine hominis diversificatae sunt sententiae ponentium vel negantium resurrectionem: ultimus enim finis hominis, quem naturaliter omnes homines desiderant, est beatitudo; ad quam quidem hominem posse pertingere in hac vita, *quidam* posuerunt: unde non cogebantur ponere aliam vitam post istam, in qua homo ultimam suam perfectionem consequeretur; et sic resurrectionem negabant. Sed hanc opinionem satis probabiliter excludit varietas fortunae, et infirmitas humani corporis, scientiae, et virtutis imperfectio, et instabilitas; quibus omnibus beatitudinis perfectio impeditur, ut August. prosequitur in fine de Civ. Dei *(et lib. 19. cap. 3.)*. Et ideo *alii* posuerunt, aliam vitam esse post hanc, in qua homo tantum secundum animam vivebat post mortem; et hanc vitam ponebant sufficere ad naturale desiderium implendum de beatitudine consequenda; unde Porphyrius dicebat, ut Augustinus dicit in lib. ult. de Civit. Dei *(cap. 26.)*: « Ut beata sit anima, omne corpus fugiendum est »; unde tales resurrectionem non ponebant. Hujus autem opinionis apud diversos diversa erant falsa fundamenta: *quidam* enim haeretici posuerunt,

natur mediante alio, quantumcumque sit sufficiens; sicut calor, quantumcumque sit intensus, non statim in primo instanti causat calorem; sed statim incipit movere ad calorem, quia calor est effectus ejus mediante motu. Resurrectio autem Christi dicitur causa nostrae resurrectionis, non quia ipsa agat immediate resurrectionem nostram, sed mediante principio suo, scilicet divina virtute, quae nostram resurrectionem faciet ad similitudinem resurrectionis Christi. Virtus autem divina operatur mediante voluntate, quae est propinquissima effectui; unde non oportet, quod statim resurrectione Christi facta, nostra resurrectio sit secuta, sed tunc sequatur, quando voluntas Dei ordinavit.

Ad secundum dicendum, quod virtus divina non alligatur aliquibus causis secundis, quin effectus illarum posset immediate, vel aliis causis mediantibus producere; sicut posset generationem corporum inferiorum causare, etiam motu coeli non existente: et tamen secundum ordinem, quem in rebus statuit, motus coeli est causa generationis inferiorum corporum. Similiter etiam secundum ordinem, quem rebus humanis divina providentia praefixit, resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis. Potuit tamen alium ordinem praefigere; et tunc esset alia causa nostrae resurrectionis, qualem Deus ordinasset.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit, quando omnia quae sunt in una specie, habent eumdem ordinem ad causam primam illius effectus, qui est inducendus in totam illam speciem: sic autem non est in proposito, quia humanitas Christi propinquior est divinitati, cujus virtus est prima causa resurrectionis, quam humanitas aliorum; unde resurrectio Christi causatur a divinitate immediate, sed resurrectio aliorum mediante Christo homine resurgente.

Ad quartum dicendum, quod resurrectio omnium hominum habebit aliquid de similitudine resurrectionis Christi, scilicet quantum ad illud quod pertinet ad vitam naturae, secundum quam omnes Christo fuerunt conformes: et ideo omnes resurgent in vitam immortalem: sed in sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiam, erit conformitas quantum ad ea quae sunt gloriae.

ARTICULUS II. 336

UTRUM VOX TUBAE SIT CAUSA NOSTRAE RESURRECTIONIS.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod vox tubae non sit causa nostrae resurrectionis: dicit enim Damasc. *(lib. 4. Orth. Fid. in fin.)*: « Crede resurrectionem futuram divina voluntate, virtute, et nutu »; ergo cum haec sint sufficiens causa resurrectionis nostrae, non oportet ponere causam ejus vocem tubae.

2. Praeterea. Frustra vox emittitur ad eum, qui audire non potest: sed mortui non habebunt auditum; ergo non est conveniens, quod vox aliqua formetur ad eos resuscitandum.

3. Praeterea. Si vox aliqua sit causa resurrectionis, hoc non erit, nisi sit per virtutem voci divinitus datam; unde super illud Psal. 67. *Dabit voci suae vocem virtutis,* dicit Gloss. *(ordin. Cassiod.)*: « Resuscitandi corpora »: sed ex quo potentia data est alicui, quamvis miraculose detur, tamen actus, qui sequitur, est naturalis, sicut patet in caeco nato miraculose illuminato, qui

postea naturaliter videt; ergo si vox aliqua esset causa resurrectionis, resurrectio esset naturalis; quod falsum est.

Sed contra est, quod dicitur 1. Thessal. 4.: *Ipse Dominus in tuba Dei descendet de coelo; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent.*

Praeterea. Joan. 5. dicitur, quod *qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent:* haec autem vox dicitur tuba, ut in litera patet *(4. Dist. 43.)*; ergo, etc.

Respondeo dicendum, quod causam, et effectum oportet aliquo modo conjungi, quia movens, et motum, faciens, et factum sunt simul, ut patet in 8. Physicor. *(text. 10. et seq.)*: Christus autem resurgens est causa univoca nostrae resurrectionis; unde oportet, quod in resurrectione corporum communi aliquo signo corporali dato, Christus resurrectionem operetur. Quod quidem signum, ut *quidam* dicunt, erit ad literam vox Christi resurrectionem imperantis; sicut imperavit mari, et cessavit tempestas *(Matth. 8.)*: *quidam* vero dicunt, quod hoc signum nihil aliud erit, quam ipsa raepresentatio evidens Filii Dei in mundo, de qua dicitur Matth. 24.: *Sicut fulgor exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis:* et innituntur auctoritati Gregorii dicentis, quod « tubam sonare, nihil aliud est quam huic mundo, ut judicem, Filium demonstrare »; et secundum hoc ipsa apparitio Filii Dei vox ejus dicitur, quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem, sicut imperanti: unde *in jussu* venire dicitur 1. Thess. 4. Et sic ejus apparitio, inquantum habet vim cujusdam imperii, vox ejus dicitur; et haec vox, quaecumque sit, quandoque dicitur clamor, quasi praeconis ad judicium citantis; quandoque autem dicitur sonus tubae, vel propter evidentiam, ut in litera dicitur *(4. Dist. 43.)*, vel propter convenientiam ad usum tubae, qui erat in veteri Testamento: tuba enim congregabantur ad concilium, commovebantur ad praelium, et vocabantur ad festum; resurgentes autem congregabuntur ad concilium judicii, et ad praelium, quo *orbis terrarum pugnabit contra insensatos (Sap. 5.)*, et ad festum aeternae solemnitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus in verbis illis circa materialem causam resurrectionis *tria* tetigit, scilicet *voluntatem* divinam, quae imperat, *virtutem* quae exequitur, et *facilitatem* exequendi, in hoc quod *nutum* adjunxit, ad similitudinem eorum quae in nobis sunt: illud enim valde facile est nobis facere, quod statim ad dictum nostrum fit. Sed multo major apparet facilitas, si ante verbum prolatum, ad primum signum voluntatis (quod nutus dicitur) statim executio nostrae voluntatis per ministros fiat: et talis nutus est quaedam causa praedictae executionis, inquantum per ipsum inducuntur alii ad nostram voluntatem explendam. Nutus autem divinus, quo fiet resurrectio, nihil aliud est, quam signum ab ipso datum, cui tota natura obediet ad resurrectionem mortuorum; et hoc signum idem est, quod *vox tubae,* ut ex dictis patet *(in corp. art.)*.

Ad secundum dicendum, quod sicut formae sacramentorum habent virtutem sanctificandi, non ex hoc quod audiuntur, sed ex hoc quod proferuntur; ita illa vox, quidquid sit, habebit efficaciam instrumentalem ad resuscitandum, non ex hoc quod sentitur, sed ex hoc quod profertur; sicut etiam vox ex ipsa impulsione aëris excitat dormientem, solvendo organum sentiendi, non ex hoc quod cognoscatur; quia judicium de voce veniente ad aures sequitur excitationem, et non est causa ejus.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, si virtus illi voci data

esset ens perfectum in natura, quia tunc quod ex ea procederet, virtutem jam naturalem factam principium haberet: non est autem talis virtus illa, sed qualis supra dicta est esse in formis sacramentorum *(4. Dist. 1. q. 1. art. 4. et part. 3. q. 62. art. 1. et 4.)*.

ARTICULUS III. 337

UTRUM AD RESURRECTIONEM ANGELI OPERABUNTUR.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod nullo modo ad resurrectionem angeli operabuntur, quia majoris virtutis est ostensiva resurrectio mortuorum, quam generatio hominum: sed quando generantur homines, anima non infunditur corpori mediantibus angelis; ergo nec resurrectio, quae est iterata conjunctio animae, et corporis, fiet ministerio angelorum.

2. Praeterea. Si ad aliquos angelos hoc ministerium pertineat, maxime videtur pertinere ad virtutes, quarum est miracula facere: sed eis non adscribitur, sed archangelis, ut patet in littera *(4. Dist. 43.)*; ergo resurrectio non fiet ministerio angelorum.

Sed contra est, quod dicitur 1. Thessal. 4. quod *Dominus in voce Archangeli descendet de coelo, et mortui resurgent*; ergo resurrectio mortuorum ministerio angelico complebitur.

Respondeo dicendum, quod, sicut August. dicit in 2. de Trinit. *(cap. 4. ante med.)*, « sicut corpora crassiora, et inferiora per subtiliora, et potentiora ordine quodam reguntur; ita omnia corpora reguntur a Deo per spiritum vitae rationalem »; et hoc etiam Gregor. 4. Dialog. *(cap. 5.)* tangit: unde in omnibus, quae corporaliter a Deo fiunt, utitur Deus ministerio angelorum. In resurrectione autem est aliquid ad transmutationem corporum pertinens, scilicet collectio cinerum, et eorum praeparatio ad reparationem humani corporis; unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio angelorum. Sed anima sicut immediate a Deo creata est, ita immediate a Deo corpori iterato unietur sine aliqua operatione angelorum: similiter etiam gloriam corporis ipse faciet absque ministerio angelorum, sicut et animam immediate glorificat; et istud angelorum ministerium dicitur *vox*, secundum unam expositionem, quae tangitur in littera *(4. Dist. 43.)*.

Ad primum ergo patet solutio ex dictis *(in corp.)*.

Ad secundum dicendum, quod ministerium istud erit principaliter unius archangeli, scilicet Michaëlis, qui est princeps Ecclesiae, sicut fuit Synagogae, sicut dicitur Dan. 10., qui tamen aget ex influentia virtutum, et aliorum superiorum ordinum: unde quod ipse faciet, superiores ordines quodammodo facient. Similiter inferiores angeli cooperabuntur ei circa resurrectionem singulorum, quorum custodiae deputati fuerunt; et sic vox illa poterit dici unius, et plurium angelorum.

QUAESTIO LXXVII.

DE TEMPORE, ET MODO RESURRECTIONIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de tempore, et modo resurrectionis.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo. Utrum tempus resurrectionis oporteat differri usque ad finem mundi.

Secundo. Utrum tempus illud sit occultum.

Tertio. Utrum resurrectio fiet noctis tempore.

Quarto. Utrum fiet subito.

ARTICULUS I. 338

UTRUM TEMPUS NOSTRAE RESURRECTIONIS DIFFERRI DEBEAT USQUE AD FINEM MUNDI.

(S. Thom. 4. Dist. 43. q. unic. art. 3. q. 1. et seq.).

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod tempus resurrectionis non oporteat differri usque ad finem mundi, ut omnes simul resurgant: major est enim convenientia capitis ad membra, quam membrorum ad invicem, sicut causae ad effectus, quam effectuum ad invicem: sed Christus, qui est caput nostrum, non distulit resurrectionem suam usque ad finem mundi, ut simul cum omnibus resurgeret; ergo non oportet, quod priorum sanctorum resurrectio usque ad finem mundi differatur, ut simul cum aliis resurgant.

2. Praeterea. Resurrectio capitis est causa resurrectionis membrorum: sed resurrectio quorumdam membrorum nobilium propter vicinitatem ad caput non est dilata usque ad finem mundi, sed statim resurrectionem Christi secuta est, sicut pie creditur de Beata Virgine, et Joanne Evangelista; ergo et aliorum resurrectio tanto propinquior erit resurrectioni Christi, quanto per gratiam, et meritum magis ei fuerint conformes.

3. Praeterea. Status novi Testamenti est perfectior, et expressius portat imaginem Christi, quam status veteris Testamenti: sed quidam Patres veteris Testamenti, Christo resurgente, resurrexerunt, sicut dicitur Matth. 27. quod *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*; ergo videtur, quod nec sanctorum novi Testamenti resurrectio differri debeat usque ad finem mundi, ut fiat omnium simul.

4. Praeterea. Post finem mundi non erit aliquis annorum numerus: sed post resurrectionem mortuorum adhuc computantur multi anni usque ad resurrectionem aliorum, ut patet Apoc. 20.; dicitur enim ibi: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei*; et infra: *Et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis; et caeteri mortuorum non vixerunt, donec*

omnia corporalia esse a malo principio, spiritualia vero a bono; et secundum hoc oportebat, quod anima summe perfecta non esset, nisi a corpore separata, per quod a suo principio distrahitur, cujus participatio ipsam beatam facit; et ideo omnes haereticorum sectae, quae ponunt a diabolo corporalia esse creata, vel formata, negant corporum resurrectionem. Hujus autem fundamenti falsitas in princip. 2. lib. ostensa est *(Dist. 4. q. 1. art. 3.)*. *Quidam* vero posuerunt, totam hominis naturam in anima constare, ita ut anima corpore uteretur, sicut instrumento, aut sicut nauta navi: unde secundum opinionem hanc sequitur, quod sola anima beatificata, homo naturali desiderio beatitudinis non frustraretur; et sic non oportet ponere resurrectionem. Sed hoc fundamentum sufficienter Philosophus in 2. de Anima *(a princ. lib.)* destruit, ostendens animam corpori, sicut formam materiae, uniri. Et sic patet, quod si in hac vita homo non potest esse beatus, est necesse resurrectionem ponere.

Ad primum ergo dicendum, quod coelum nunquam atteretur quantum ad substantiam, sed quantum ad effectum virtutis, per quam movet ad generationem, et corruptionem inferiorum; ratione cujus dicit Apostolus 1. Cor. 7.: *Praeterit figura hujus mundi.*

Ad secundum dicendum, quod anima Abraham non est, proprie loquendo, ipse Abraham, sed est pars ejus; et sic de aliis: unde vita animae Abrahae non sufficeret ad hoc, quod Abraham sit vivens, vel quod Deus Abraham sit Deus viventis; sed exigitur vita totius conjuncti, scilicet animae, et corporis: quae quidem vita, quamvis non esset actu, quando verba proponebantur, erat tamen in ordine utriusque partis ad resurrectionem: unde Dominus per verba illa subtilissime, et efficaciter resurrectionem probat.

Ad tertium dicendum, quod anima non comparatur ad corpus solum ut operans ad instrumentum, quo operatur, sed etiam ut forma ad materiam; unde operatio est conjuncti, et non tantum animae, ut patet per Philos. in 1. de Anima *(tex. 64. et 66.)*. Et quia operanti debetur operis merces, oportet quod ipse homo compositus ex anima, et corpore operis sui mercedem accipiat. Venialia autem sicut dicuntur peccata quasi dispositiones ad peccandum, non quod simpliciter habeant, et perfecte rationem peccati; ita poena, quae eis redditur in purgatorio, non est simpliciter retributio, sed magis purgatio quaedam, quae seorsum fit in corpore per mortem, et incinerationem, et in anima per purgatorii ignem.

Ad quartum dicendum, quod, caeteris paribus, perfectior est status animae in corpore, quam extra corpus, quia est pars totius compositi; et omnis pars integralis materialis est respectu totius: et quamvis sit Deo conformior secundum quid, non tamen simpliciter. Tunc enim, simpliciter loquendo, est aliquid maxime Deo conforme, quando habet quidquid conditio suae naturae requirit, quia perfectionem divinam tunc maxime imitatur: unde cor animalis magis est Deo conforme in mobili, quando movetur, quam quando quiescit, quia perfectio cordis est in moveri, et ejus quies est ejus destructio.

Ad quintum dicendum, quod mors corporalis est introducta per peccatum Adae, quod est morte Christi deletum; unde poena illa non manet in aeternum: sed peccatum mortale, quod mortem aeternam per impoenitentiam inducit, ultra non expiabitur; et ideo mors illa aeterna erit.

ARTICULUS II. 333

UTRUM RESURRECTIO ERIT OMNIUM GENERALITER.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod resurrectio non erit omnium generaliter: in Psal. enim 1. dicitur: *Non resurgent impii in judicio:* sed resurrectio non erit hominum, nisi tempore judicii universalis; ergo impii nullo modo resurgent.

2. Praeterea. Dan. 12. dicitur: *Multi de his qui dormierunt in terrae pulvere evigilabunt:* sed haec locutio quandam particulationem importat; ergo non omnes resurgent.

3. Praeterea. Per resurrectionem homines conformantur Christo resurgenti; unde 1. Cor. 15. concludit Apostolus: quod *si Christus resurrexit, et nos resurgemus:* sed illi soli debent Christo resurgenti conformari, qui imaginem ipsius portaverunt, quod solum bonorum est; ergo ipsi soli resurgent.

4. Praeterea. Poena non dimittitur, nisi ablata culpa: sed mors corporalis est poena peccati originalis; ergo cum non omnibus sit dimissum originale peccatum, non omnes resurgent.

5. Praeterea. Sicut per gratiam Christi renascimur, ita per gratiam ejus resurgemus: sed illi qui in maternis uteris moriuntur, nunquam poterunt renasci; ergo nec resurgere poterunt; et sic non omnes resurgent.

Sed contra est, quod dicitur Joan. 5.: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; et qui audierint vivent;* ergo omnes mortui resurgent.

Praeterea. 1. Corinth. 15. dicitur: *Omnes quidem resurgemus,* etc.

Praeterea. Resurrectio ad hoc necessaria est, ut resurgentes recipiant pro meritis poenam, vel praemium: sed omnibus debetur vel poena, vel praemium: *vel* pro merito proprio, sicut adultis; *vel* pro merito alieno, sicut parvulis; ergo omnes resurgent.

Respondeo dicendum, quod ea, quorum ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inveniri in omnibus, quae sunt ejusdem speciei; talis autem est resurrectio: haec enim est ejus ratio, ut ex dictis patet *(art. praec.)*, quod anima in perfectione ultima speciei humanae esse non potest a corpore separata: unde nulla anima in perpetuum remanebit a corpore separata; et ideo necesse est, sicut unum, ita et omnes resurgere.

Ad primum ergo dicendum, quod loquitur de spirituali resurrectione, qua impii non resurgent in judicio discussionis conscientiae, ut Glossa *(interlin. et ord. Aug.)* exponit. Vel loquitur de impiis, qui sunt omnino infideles, qui non resurgent, ut judicentur; jam enim judicati sunt.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus *(lib. 20. de Civ. Dei in fin.)* exponit « multi » idest « omnes »; et hic modus loquendi frequenter invenitur in sacra Scriptura. Vel particulatio potest intelligi quantum ad pueros damnatos in limbo, qui quamvis resurgent, non proprie dicuntur evigilare, cum nec sensum poenae, nec gloriae habituri sint; vigilia enim est solutio sensus.

Ad tertium dicendum, quod omnes tam boni, quam mali conformantur Christo, vivendo in ista vita, in his quae ad naturam speciei pertinent, non autem in his quae pertinent ad gratiam; et ideo omnes ei conformabuntur in reparatione vitae naturalis, non autem in similitudine gloriae, sed soli boni.

Ad quartum dicendum, quod mortem, quae est poena originalis peccati, qui in originali decesserunt, exsolverunt moriendo; unde non obstante originali culpa, possunt a morte resurgere; poena enim originalis peccati magis est mori, quam morte detineri.

Ad quintum dicendum, quod renascimur per gratiam Christi nobis datam, sed resurgimus per gratiam Christi, qua factum est, ut naturam nostram susciperet, quia ex hoc ei in naturalibus conformamur; unde illi qui in maternis uteris decedunt, quamvis renati non fuerint per susceptionem gratiae, tamen resurgent propter conformitatem naturae ad ipsum, quam consecuti sunt ad perfectionem humanae speciei pertingentes.

ARTICULUS III. 334

UTRUM RESURRECTIO SIT NATURALIS.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod resurrectio sit naturalis, quia, sicut dicit Damascenus in 3. lib. *(Orthod. Fid. cap. 14. ante med.)*, « quod communiter in omnibus conspicitur, illud naturam characterizat in his, quae sub ipsa sunt, individuis » : sed resurrectio communiter in omnibus invenitur; ergo est naturalis.

2. Praeterea. Gregorius dicit 14. Moralium *(cap. 28. circ. med.)*: « Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc ex ratione tenere debuerant: quid enim quotidie mundus in elementis suis, nisi resurrectionem nostram, imitatur? » Et ponit exemplum de luce, quae « quasi moriendo oculis subtrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur », et de arbustis, quae « viriditatem amittunt, et rursus quasi refurgentia reparantur », et de seminibus, quae « putrescentia moriuntur, et rursus germinando quodammodo resurgunt »: quod etiam exemplum Apostolus ponit 1. Corinth. 15.: sed nihil potest ex naturalibus operibus ratione cognosci, nisi naturale; ergo resurrectio erit naturalis.

3. Praeterea. Illa quae sunt praeter naturam, non multo tempore manent, quia sunt quasi violenta: sed vita, quae per resurrectionem reparabitur, in aeternum manebit; ergo resurrectio erit naturalis.

4. Praeterea. Illud, ad quod tota naturae expectatio intendit, maxime videtur esse naturale: sed resurrectio, et glorificatio sanctorum est hujusmodi, ut patet Rom. 8.; ergo resurrectio erit naturalis.

5. Praeterea. Rerurrectio est motus quidam ad perpetuam conjunctionem animae, et corporis: sed motus est naturalis, qui terminatur ad quietem naturalem, ut patet 5. Phys. *(tex. 59.)*: perpetua autem conjunctio animae, et corporis erit naturalis, quia cum anima sit proprius motor [*al.* actus] corporis, habet sibi corpus proportionatum; et ita in perpetuum est similiter vivificabile ab ipsa, sicut ipsa in perpetuum vivit; ergo resurrectio erit naturalis.

Sed contra. A privatione in habitum non fit regressus secundum naturam: sed mors est privatio vitae; ergo resurrectio, per quam est reditus de morte ad vitam, non est naturalis.

Praeterea. Ea quae sunt unius speciei, unum habent determinatum modum originis: unde animalia, quae generantur ex putrefactione, et ex semine, nunquam sunt ejusdem speciei, ut dicit Commentator in 8. Physic. *(comment. 46.)*: sed naturalis modus, quo homo oritur, est generatio ejus ex simili in specie, quod non est in resurrectione; ergo non erit naturalis.

Respondeo dicendum, quod motus, sive actio aliqua se habet ad naturam *tripliciter*: est enim *aliquis* motus, sive actio, cujus natura nec est principium, nec terminus; et talis motus quandoque est a principio supra naturam, ut patet de glorificatione corporis; quandoque autem a principio alio quocumque, sicut patet de motu violento lapidis sursum, qui terminatur ad quietem violentam: est etiam *aliquis* motus, cujus principium, et terminus est natura, ut patet in motu lapidis deorsum: est et *aliquis* alius motus, cujus terminus est natura, sed non principium; sed quandoque aliquid supra naturam, sicut patet in illuminatione caeci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam: quandoque autem aliquid aliud, ut patet in acceleratione florum, vel fructuum per artificium facta. Quod autem principium sit natura, et non terminus, esse non potest, quia principia naturalia sunt ad determinatos effectus definita, ultra quos se extendere non possunt: operatio ergo, vel motus *primo* modo se habens ad naturam, nullo modo potest esse naturalis; sed vel est miraculosa, si sit a principio supra naturam, vel violenta, si sit ab alio quocumque principio: operatio autem, vel motus *secundo* modo se habens ad naturam est simpliciter naturalis; sed operatio, quae *tertio* modo se habet ad naturam, non potest dici simpliciter naturalis, sed secundum quid, inquantum scilicet perducit ad id quod secundum naturam est; sed vel dicitur miraculosa, vel artificialis, aut violenta. Naturale enim proprie dicitur, quod secundum naturam est; secundum autem naturam esse dicitur habens naturam, et quae consequuntur naturam, ut patet in 2. Physic. *(tex. 4. et 5.)*; unde motus, simpliciter loquendo, non potest dici naturalis, nisi ejus principium sit natura. Resurrectionis autem principium natura esse non potest, quamvis ad vitam naturae resurrectio terminetur; natura enim est principium motus in eo, in quo est, vel activum, ut patet in motu levium, et gravium, et alterationibus naturalibus animalium; vel passivum, ut patet in generatione simplicium corporum. Passivum autem principium naturalis generationis est potentia passiva naturalis, quae semper habet aliquam potentiam activam sibi respondentem in natura, ut dicitur in 9. Metaph. *(tex. 10.)*: nec differt quantum ad hoc, sive respondeat passivo principio activum principium in natura respectu ultimae perfectionis, scilicet formae, sive respectu dispositionis, quae est necessitas ad formam ultimam, sicut est in generatione hominis secundum positionem fidei, vel etiam de omnibus aliis secundum opinionem Platonis, et Avicennae. Nullum autem principium activum resurrectionis est in natura, neque respectu conjunctionis animae ad corpus, nec respectu dispositionis, quae est necessitas ad talem conjunctionem; quia talis dispositio non potest a natura induci, nisi determinato modo per viam generationis ex semine: unde etsi ponatur esse aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quaecumque ad animae conjunctionem, non est talis, quod sufficiat ad rationem motus naturalis: unde resurrectio, simpliciter loquendo, est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus loquitur de illis, quae inveniuntur in omnibus individuis, ex principiis naturae causata; non enim si divina operatione omnes homines dealbarentur, vel in uno loco congregarentur, sicut tempore diluvii factum est, propter hoc albedo esset proprietas naturalis hominis, vel esse in tali loco.

Ad secundum dicendum, quod ex rebus naturalibus non cognoscitur aliquid non naturale ratione demonstrante; sed ratione persuadente potest co-

gnosci aliquid supra naturam, quia eorum, quae supra naturam sunt, ea quae sunt in natura, aliquam similitudinem repraesentant; sicut unio animae, et corporis repraesentat animae unionem ad Deum per gloriam fruitionis, ut Magister dicit *(2. Dist. 1.)*: et simili modo exempla, quae Apostolus, et Gregorius inducunt, fidei resurrectionis persuasive adminiculantur.

Ad tertium dicendum, quod illa ratio procedit de operatione illa, quae terminatur ad id, quod non est per naturam, sed naturae contrarium: hoc autem non est in resurrectione; et ideo non est ad propositum.

Ad quartum dicendum, quod tota operatio naturae est sub operatione divina, sicut operatio inferioris artis sub operatione superioris: unde sicut omnis operatio inferioris artis expectat aliquem finem, ad quem non pervenitur nisi operatione artis superioris inducentis formam, vel utentis artificio facto; ita ad ultimum finem, ad quem tota expectatio naturae intendit, non potest perveniri operatione naturae; et propter hoc consecutio ejus non est naturalis.

Ad quintum dicendum, quod quamvis non possit esse motus naturalis, qui terminatur ad quietem violentam, tamen potest esse motus non naturalis, qui terminatur ad quietem naturalem, ut ex dictis patet *(in corp. art.)*.

QUAESTIO LXXVI.

DE CAUSA RESURRECTIONIS, IN TRES ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa nostrae resurrectionis.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo. Utrum resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis.
Secundo. Utrum vox tubae.
Tertio. Utrum angeli.

ARTICULUS I. 335

UTRUM CHRISTI RESURRECTIO SIT CAUSA NOSTRAE RESURRECTIONIS.

(S. Thom. 4. Dist. 43. q. unic. art. 2. q. 1. et seq.).

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Christi resurrectio non sit causa nostrae resurrectionis: posita enim causa, ponitur effectus: sed posita resurrectione Christi, non est secuta statim resurrectio aliorum mortuorum; ergo resurrectio ejus non est causa nostrae resurrectionis.

2. Praeterea. Effectus non potest esse, nisi causa praecesserit: sed resurrectio mortuorum esset, etiamsi Christus non resurrexisset; erat enim alius modus possibilis Deo, ut hominem liberaret; ergo resurrectio Christi non est causa nostrae resurrectionis.

3. Praeterea. Idem est factivum unius in tota una specie: sed resurrectio erit omnibus hominibus communis; cum ergo resurrectio Christi non sit causa sui ipsius, non est causa aliorum resurrectionis.

4. Praeterea. In effectu relinquitur aliquid de similitudine causae: sed resurrectio, ad minus quorumdam, scilicet malorum, non habet aliquid simile resurrectioni Christi; ergo resurrectionis illorum non erit causa resurrectio Christi.

Sed contra. « Illud, quod est primum in quolibet genere, est causa eorum, quae sunt post », ut patet in 2. Metaph. *(tex. 4.)*: sed Christus ratione suae resurrectionis corporalis dicitur *primitiae dormientium*, 1. Corinth. 15., et *primogenitus mortuorum*, Apocal. 1.; ergo ejus resurrectio est causa resurrectiônis aliorum.

Praeterea. Resurrectio Christi magis convenit cum nostra resurrectione corporali, quam cum resurrectione spirituali, quae est per justificationem: sed resurrectio Christi est causa justificationis nostrae, ut patet Rom. 4., ubi dicitur, quod *resurrexit propter justificationem nostram*; ergo resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis corporalis.

Respondeo dicendum, quod Christus ratione humanae naturae dicitur Dei, et hominum mediator; unde divina dona a Deo in homines mediante Christi humanitate proveniunt. Sicut autem a morte spirituali liberari non possumus, nisi per donum gratiae divinitus datum; ita nec a morte corporali, nisi per resurrectionem divina virtute factam; et ideo sicut Christus secundum humanam naturam primitias gratiae suscepit divinitus, et ejus gratia est causa nostrae gratiae, quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia (Joan. 1.)*; ita in Christo inchoata est resurrectio; et ejus resurrectio causa est nostrae resurrectionis. Et sic Christus, inquantum est Deus, est prima causa nostrae resurrectionis quasi aequivoca: sed inquantum est Deus, et homo resurgens, est causa proxima, et quasi univoca nostrae resurrectionis. Causa autem univoca agens producit effectum in similitudinem formae suae; unde non solum est causa efficiens, sed exemplaris respectu istius effectus. Hoc autem contingit *dupliciter*: *quandoque* enim ipsa forma, per quam attenditur similitudo agentis ad effectum, est directe principium actionis, qua producitur ille effectus, sicut calor in igne calefaciente: *quandoque* autem illius actionis, qua producitur effectus, non est principium primo, et per se ipsa forma, secundum quam attenditur similitudo, sed principia illius formae; sicut si homo albus generet hominem album, ipsa albedo generantis non est principium activae generationis; et tamen albedo generantis dicitur causa albedinis generati, quia principia albedinis in generante sunt principia generativa facientia albedinem in generato. Et per hunc modum resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis, quia illud idem quod fecit resurrectionem Christi, quae est causa efficiens univoca nostrae resurrectionis, ad nostram resurrectionem agit, scilicet virtus divinitatis ipsius Christi, quae sibi, et Patri communis est: unde dicitur Rom. 8: *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Sed ipsa resurrectio Christi virtute divinitatis adjunctae est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostrae; operationes enim divinae agebantur mediante carne Christi, quasi quodam organo; sicut ponit exemplum Damascen. in 3. lib. *(Orth. Fid. cap. 15. a med.)*, de tactu corporali, quo mundavit leprosum, Matth. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod causa sufficiens statim producit effectum suum, ad quem immediate ordinatur, non autem effectum, ad quem ordi-